



Disputatio medica inauguralis de asthmate

<https://hdl.handle.net/1874/341913>

11.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ASTHMA TE,

QUAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimaque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
rite, ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit
JOHANNES HENRICUS KISSELIUS, Hattâ-Alsatus,
Ad diem 14. Maii horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academæ
Typographi, clo Ioc LXXXVIII.

Reverendo, Pio, ac Eruditissimo

V I R O,

**D. D. GEORGIO
HENRICO PETRI,**
Verbi Divini inter Augusta-
næ Confessionis Reformatos
apud Sardamenses Dispensa-
tori fidelissimo, Cognato dile-
ctissimo, Fautori nunquam
non suspiciendo,

Inauguralem hanc Disputationem

D. D. D.

JOHANNES HENRICUS KISSELIUS.

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ASTHMA.

THEISIS I.

Espiratio ad vitam adeo necessaria est, ut sine ea homo diu superstes esse nequeat, unde nonnullis *vivere* & *respirare* idem fuit: ac proinde etiam Respirationis laesio Medicis flocci facienda non est.

Hæc autem pro ut major vel minor fuerit, hinc ejus laesionalis tres species constituuntur, solo intentionis gradu differentes. Quippe si levior sit, *Dyspnœa*; si mediocris, *Asthma*; si gravissima, qua ægri non nisi erecti spirare queunt, *orthopnœa* appellatur. Sæpe tamen apud Medicos *Asthma* tanquam generale nomen, cuilibet speciei adscribitur, sub quo nos omnes species comprehendemus. Non tamen acturi sumus de illa respirandi difficultate, quæ cum aliis morbis, ut apoplexia, pleuritide, angina, peri-

A 2 pheu-

4 DISPUTATIO MEDICA

pneumonia, hydrope, costarum fractura, vertebrarum luxatione, &c. implicatur, verum solummodo de ea, quæ fit pulmonis, aut potius bronchiorum ejus vitio, sine inflammatione, aut vicinarum partium læsione.

I I.

Hoc Asthma est respiratio difficilis, frequens & anhelosa, à pulmonis aut bronchiorum ejus, vel asperæ arteriæ, obstructione, aut qualicunque angustatione procedens.

I I I.

Pars affecta, ut ex definitione liquet, est Pulmo cum bronchiis & aspera arteria: ejusque affectio est viarum angustatio.

I V.

Angustationis illius causæ proximæ variae sunt, quæ in tres ordines redigi possunt, quantum aliæ in ipso pulmone generantur, aliæ ab aliis partibus eo perveniunt, aliæ extrinsecus accedunt.

V.

In ipso pulmone, ob aliquam ejus intemperiem aut debilitatem sæpe multi frigidi viscidique humores generantur & colliguntur, bronchia obstruentes. In eodem etiam generantur tubercula, vomicæ, grandines, calculi, aliaque

que similia, à quibus bronchia quoctunque modo angustantur. Non loquor hic de ulcere, inflammatione &c. quia ut ante dictum est, de talibus respirationis difficultatibus agere non decrevi.

V I.

Ab aliis partibus ad pulmonem pervenient humores pituitosi, crassi, viscidi, quales è capite frequenter in asperam arteriam, & bronchia delabuntur, eaque obstruunt. Interdum sanguis, cum vitio Chyli in corde non satis attenuatur, crassior è dextro ventriculo in pulmonem impulsus, in eoque ab inspiratione frigida magis condensatus, hincque lentius ad sinistrum ventriculum procedens, nimia Copia in pulmone continetur, & compressione bronchia angustat.

V I I.

Quæ extrinsecus advenientia respirationem proxime lœdunt sunt, aër frigidissimus, fumi, pulveres, & quæcunque ingesta in asperam arteriam delabuntur.

V I I I.

Causæ antecedentes sunt humores, & vapores in corpore contenti, qui data occasione in bronchia irruentes, illa coangustare, & causa proxima fieri possunt.

A 3

IX.Cau-

6 D I S P U T A T I O M E D I C A

I X.

Causæ procatarcticæ sunt illæ, quæ dictos latentes humores aut vapores movent, ut sic emoti ad bronchia pervenire, eaque angustare queant: talia sunt æstus, valida exercitia, balnea, nimius vini potus, aliaque, quibus humores liquefiunt & fluxiles redduntur. Item magnum frigus, aër humidus, tempestuosus, aut caliginosus, nimia quies, otium, frigidorum usus, aliaque quibus humores in pulmone & bronchiis condensantur & cumulantur.

X.

Asthma variis modis differt: aliud est hæreditarium, aliud adventitium, & hoc vel inverteratum, vel recens: utrumque iterum vel periodicum vel continuum, levius vel gravius.

X I.

Est autem affectus qui se ipsum prodit, neque ut cognoscatur signis opus habet. Causarum verò signa petuntur ex iis quæ causam angustantem aut in pulmone aut in aliis partibus generari, aut extrinsecus accedere docent, quæ quia cognitu facilia sunt, adscribere necesse non videtur.

X I I.

Omne asthma periculum minatur, idque tanto

tanto majus quanto major est causa & angustia. Si à tuberculo, vomica, aut calculo pulmonis procedat, nec non si hæreditarium malum fuerit, aut multis annis duraverit, vix unquam sanatur, ut nec in senibus juxta aph. 40. lib. 2. si asthmate detento nova magnaque defluxio è capite in pulmonem irruat, suffocationis periculum imminet. Sique ad asthma alii morbi adjunguntur, ii periculum augent.

X I I I.

Indicationes curativæ sunt, angustas pulmonis vias aperire, materiam angustantem tollere, & illius novam generationem impedire. Quæ materia si viscida, tenax, & crassa fuerit, erit incinda, attenuanda, abstergenda & expellenda. Si ab aliis partibus in pulmonem influat tunc est revellenda, vel aliquorsum deducenda, eaque partes una cum pulmone sunt corroborandæ. Quia autem affectus hic non continuò æque violentus est, sed multoties quasi periodis quibusdam exacerbatur, hinc alia curatio in paroxysmo, alia extra eum instituitur, eaque præcausarum varietate varianda: sed cum frequenter fiat à crudis, pituitosis & viscidis humoribus, brevitati consulens, illam solam cu-

8 D I S P U T A T I O M E D I C A

rationem dabo, ex qua reliquarum causarum
sublatio etiam facile percipi poterit.

X I V.

In paroxysmo ubi maxima est angustia, iniiciendus est clyster emolliens, & exhibendus
d. *pulveris croci cum vino malvatico*, vel *moschi gr. j. cum croci gr. xiiij.* vel aliquot *guttæ Olei anisi* cum *eodem vino*; vel mixtura cochleatim usurpetur

R. Aq. Hyssopi fæniculi a. 3iis.

Tincturæ Croci 3iij.

laud. opati gr. ij.

Ol. anisi gtt. vij.

Sp. sal. armoniaci gtt. xvij.

Syr. Hyssopi 3i.

M.

vel fiat linctus

R. Oxymell. ad dyspnæam

Syr. Hyssopi aa. 3iis.

Pulv. croci d.

Ol. anisi. gtt. vij.

M.

Si plethora adsit, etiam modica sanguinis missio utilis erit. Omnia vestimentorum ligamenta solvenda, æger in magno cubiculo deponendus fere erectus, adstantium quoque turba à mo-

I N A U G U R A L I S .

movenda, ut æger liberiore aëre frui possit.

X V.

Extra paroxysmum, amotis causis procatarcticis, ad antecedentis causæ imminutionem tale purgans dabitur.

R. *Agarici trochiscati* 3ij.

Mechoacannæ 3ij.

Fol. sennæ 3ii. *sem. anisi* 3*ʒ.*

Aqua hordei. q. f. fiat infusio f. art.

Adde colaturæ, elest. Diaphænici 3ij.

Misce fiat haustus.

X V I.

Deinde pituita crassa & viscida in pulmone reliquoque corpore contenta, præparanda est tali apozemate.

R. *Rad. enulæ camp.* 3*ʒ* ireos, *fæniculi aa.* 3vi.

Herb. marrubii albi, scabiosæ, aa. mj.

Hyssopi, capilli veneris aa. m*ʒ.*

Sem. anisi, urticæ, aa. 3ii.

Baccar. juniperi 3ij.

Passul. mundat. 3ii.

Aqua. q. f. coquuntur. f. a. ad. 3xxx.

Adde colat. syrupi de hyssopo,

de prassio aa. 3*ʒ.*

M. F. apozema.

de quo detur ter quaterve de die haustus.

B

XVII.

10 DISPUTATIO MEDICA

XVII.

Præparata materia deinde est expurganda,
cum biera picra, pilulis ex aloë, vel ruffi, vel
cochiis, vel cum haustu antea præscripto.

XVIII.

Interea ut respiratio facilior procedat, utatur
æger tali linctu.

Rx. Syrup. de hyssopo

de prassio

Oxymellis scyllitici aa. 3i m. f. linctus.

Laudatur etiam terebinthina matutinò tempo-
re boli formà deglutita, pilulae ex ammoniaco,
syrupus Nicotiana, *Millepides* cum decocto pe-
ctorali, aliaque similia.

XIX.

Si pituita è capite ad pulmonem defluat,
capitis quoque maxima ratio habenda est, id-
que corroborandum cephalicis calefacientibus
intus & foris adhibitis : humores in cerebro
contenti, sunt evacuandi per errhina & ster-
nutatoria : catarrhi etiam defluxus divergen-
tibus per cucurbitulas cervici & scapulis imposi-
tas, & per fonticulos in cervice & brachiis
excitatos.

IIVX

XX. Ager

INAUGURALIS.

XX.

Æger vivat in aëre temperato, claro & lucido, in cubiculo lato & amplio. Cibi sint boni succi & facilis digestionis; conditi cum passulis, semine anisi, fœniculi, aut carui, hysopo, majoranâ, salviâ, petroselino, rosmarino, asparagis, croco, &c. Abstineat æger à saltis, acidis & austenis, ut & à leguminibus, carne porcina, aliave fumo siccata, anatabus, anseribus, halecibus, aliisve quibuscumque duræ digestionis. Potus sit melicratum, aut cerevisia bene defœcata, minime acida. Somnus sit mediocris. Corpus non multum moveatur. Excreta naturalia benè procedant. Vehementiora animi pathemata fugiantur.



C O-

COROLLARIA.

I.

In difficulti respiratione aliquando conducunt vomitoria.

II.

In mulieribus gravidis, quibus menstrua fluunt, fœtus potest esse sanus.

III.

Mola non potest concipi sine semine virili.

IV.

In hysterica passione uterus non ascendit.

V.

Dentes non sentiunt.

F I N I S.